

76541

RECTOR
ACADEMIÆ LIPSIENSIS

AD

Supremum Officium

Fœminæ pietatis virtutumque cæte-
rarum muliebrium choragio splendidae

GERTRUDIS

Natæ SCHEIBIÆ,

Viri Nobilissimi, Amplissimi Consultissimiq;

DN. HEINRICI BALTHASARIS
ZABELII

Hæreditarii in Neu-Muckershausen/
J. U. D. & Caufarum Patroni penes Lipsienses
Celeberrimi

Uxoris desideratissimæ

horâ III. prolixè ac promptè præstandum

CIVES ACADEMICOS

humanissimè invitat.

L I P S I Æ,

LITERIS CHRISTIANI MICHAELIS,

M DC LXXIV.



RECTOR

ACADEMIAE THEOLOGICAE

PROFESSOR

THEOLOGICAE

PROFESSOR

THEOLOGICAE

PROFESSOR

THEOLOGICAE

PROFESSOR

THEOLOGICAE

PROFESSOR

THEOLOGICAE

PROFESSOR

LITTERIS CHRISTIANI MICHAELIS

MDCCLXXIV





Olet aliàs Stoicorum Apathia à La-
ctantio, Hieronymo, aliisque Patribus ex eo
convelli, quòd affectus omnes, quorum im-
pulsu animus commovetur, radicitus extir-
pet in homine, nec quicquam bonum vel ma-
lum censeat, solam bonorum ac malorum opinionem,
eamque vanam nec solido tibicine suffultam agnoscens. Alii
autem eandem de impassibilitate seu imperturbatione, ut
Hieronymus exponit, doctrinam cum Erasmo mitigant; quin
& alii illam tanquam Christianis Dogmatis valde congerma-
nescentem cum J. Lipsio commendant. Præ cæteris nominari
nunc meretur Comenius, celebre illud inter literatos hujus
seculi nomen, qui non obscure admittere Christianam apa-
thiam quandam videtur, dum Christiano patientiam in ad-
versis tribuit, aut, ne pati quidem necesse sit, resignationem
totalem voluntatis in voluntatem DEI. Quantumvis au-
tem Stoica apathia simile quid habere cum Christiana hac vi-
deatur, mirum quantum tamen discriminis elucescet, si u-
triusque tum originem ac fontem, tum naturam seu modum
ipsum, praxinque prætereà ipsam pensiculatius contempleris.
Cum enim Stoici persuasissimi sint, omnia bona & mala tam
corporis quam fortunæ indifferentia esse, Christiani etiam
mala ipsa tanquam bona accipiunt, diligentibus Deum o-
mnia, & ita mala quoque in bonum cooperari perdocti. Dein-
de dum apathia Stoica non patitur, vel certè videri non vult,
quasi patitur quicquam è dictis bonis vel malis, atque adeò
illis neque per voluptatem neque per dolorem afficitur;
Christiana res malas patitur quidem, sed tanquam bonas &

*Lactant.
lib. VI. c.
14. Hier.
Tom. III.
114. 115.*

*Hier. l. c.
Erasm. ad
Hier. f.*

*117.
Lips. in
lib. de
Constan-
tia.*

*Comen.
c. 4. de
uno ne-
cessario
p. 29.*

Tom. II.
de vita
pacifica
p. 802.

cùm salute tam temporali quam æternâ conjunctas; Thomæ Kempisii illud, religiosissimi Scriptoris observans, resignationem, quam diximus, sic inculcantis: *Patienter sustine, si vis DEO placere. - Nam totum tibi cedit in bonum, si de manu DEI accipis omne infortunium tanquam animæ lucrum. Recta via ad cælum est pati propter DEUM. In humili sufferentia cognoscitur virtuosa vita & cælestis sapientia, & sic pervenitur ad æternum paradisi gaudium.*

Wolf. in
annotat
ad Epi-
let. p. 86.

Denique cùm difficile sit Ἀπαρῆ aliquem ex porticu illâ producere (sunt enim voces Stoicorum, censente Hieronymo Wolfio, non nisi Thrasonica & hyperbolica) vel sexcentos ex Christianis ostendere in proclivi fuerit, qui cùm certissimè sint confisi, tam adversa, quam prospera omnia sibi in bonum à DEI providentia converti, fiduciam omnem in duce supremo, eoque infallibili cum resignatione, verâ illâ transquillitatis internæ radice, collocârunt.

Blos. lib.
monil. spi-
ritual. c.
11. Cornel.
ad Jerem.
c. 3. f. 877.

Ex numero illorum Ludovicus Blosius, cumque eo Cornelius à Lapide sistunt S. Gertrudin, quam Jesu apparenti, & dexterâ sanitatem, sinistrâ infirmitatem offerenti, facie ab utraque manu aversâ dixisse ferunt: *Domine ego toto corde desidero, ut non meam voluntatem respicias, sed tuum beneplacitum in omnibus perficias; moxque illud responsi à Domino tulisse: Qui vult ut ad ipsum liberè veniam, debet mihi clavem propriae voluntatis resignare. Quòd si ex humana fragilitate eam resumere contigerit, mox pœniteat, ac eam iteratò mihi resignet, & suscipiet eum dextra misericordiae meae, deducetque ad regnum claritatis aeternae.* Ubi & hoc addunt, nec pericula postmodum, nec tribulationes, nec damna rerum, nec impedimenta alia,

quin imò ne delicta quidem, securam constantemque Gertrudis confidentiam, quam in benignissima DEI Misericordia defixerit, obscurare ullo modo potuisse. Nos verò aliam Gertrudin nunc damus, eamque a pathiâ Christianâ, si fas ita loqui, nulli secundam, Foeminam, inquam, pissimam, virtutibusque eximiis aliis undiquaque ornatam GERTRUDIN, Viri Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimique DN. HEN-
RICI

RICI BALTHASARIS ZABELII, Hæreditarii in
Neu-Muckershausen/J. U. D. & Causarum Patroni Cele-
berrimi Uxorem longè desideratissimam. Etenim & Hæc, uti
probè ex sacrorum librorum volutione didicerat, Deum
unicuilibet, prout conducit maximè, fata dispensare, nihil-
que ad eò sibi, quantumvis durum atque acerbum, accidere
posse, quod non antea in summa Cœlestis Imperatoris aula
sit ordinatum: ita calamitates quasque, quarum non paucas
neque exiles devoravit, stomacho concoxit plusquam Stoico,
quin totam sese in nutum ac voluntatem DEI resignavit; id
quod plenius uberiusque cognosces, Lector, si vitam Ejus, quæ
non longissima ipsi in terris hisce contigit, nobiscum percur-
veris. Spiritum trahere cœpit in hac urbe A. O. R. M. DC.
XL. ipsis Kalendis Octobribus nata Patre antiquæ virtutis ac fi-
dei MARTINO SCHEIBIO, Cive & Xenodocho Lipsi-
ensi, & matre optimâ, ANNA ANTONII REICHII,
Mercatoris Philuræi filia; utque in anima ejus resculpi queat,
quod ex imagine Creatoris hostilis manus detraxerat, ad Cœ-
lestem illam DEI artificis officinam, Baptismum quam voca-
mus, mox perducta est. Cum ætate ipsa succrevit & pietas,
quam frequenti Catecheseos & Psalmorum Davidicorum, nec
non toties iteratâ sacri Codicis lectione exeruit, apes insu-
per studiosè imitata, favos undique ex floriferis saltibus in alve-
aria sua comportantes; quippe quæ dicta scripturæ omni melle
& ambrosiâ dulciora ad animæ suæ pabulum jam tum suapte
operâ collegit. Sed pietati litare cum serio animum induxif-
set, etiam piorum subire fatum in illo annorum flore neces-
se habuit; orbata quippe parentibus suis, & ærumnabili Or-
phanorum sorti heu nimis maturè subjecta. Quamquam nec-
piam hanc animam suâ ope destituit Orphanorum Tutor at-
que Curator Optimus Maximus; siquidem & Soror natu gran-
dior & magnæ dignationis Cognati curam illius, DEO sic or-

dinante, planè maternam gessere, virtutibusq̄ve ejusdem au-
gmenta in dies capientibus tantoperè se oblectârunt, ut invi-
tandem eam, nec sine multo desiderio ex laribus suis dimise-
rint. Visum autem fuit divino Numini, ut quæ inter Virgines
pietate castissimisq̄ve moribus exsplendescibat, etiam hono-
rabili conjugio præ cæteris ordinis sui conditionisq̄ve puellis
maçtaretur. Maritum enim, Tutore & Cognatis post DEUM
annuentibus, adepta est Nobilissimum atq̄ve Excellentissimum
D. ZABELIUM, cui A. LXXI. d. XV. Maji solenni Copu-
lationis ac benedictionis divinæ ritu sociata est. His vinculis
ligata tantùm abest, ut à pietate deflecti se passa fuerit, ut
DEUM potius coluerit magis magisq̄ve, Eiq̄ve tùm pro pio ac
famigerabili Vitæ Conforte, tùm pro sobole indulgentissimè
sibi concessa (fructûs enim conjugii dulcissimos tulit, bi-
nos filios JOHANNEM HENRICUM & JOHANNEM
CONRADUM, nec non filiulam unicam MARIAM GER-
TRUDIN, quæ quidem vix nata ac renata cœlesti hæreditate
mox potita est) gratias egerit quàm devotissimas. Hic enim
princeps labor ejus, hæc cura primaria erat, Oracula cœlestia
in publicis templis resonantia bibulis auribus excipere, pec-
catorum veniam statò tempore à Ministro DEI efflagitare,
animamq̄ve Salvatoris sui Corpore ac sanguine pascere; de cæ-
terò valere jussis omnibus hujus mundi oblectamentis DEO
vacare unicè, eiq̄ve intrà privatos lares affectu quodam igneo
mentis, preces, hymnos ac suspiria dedicare. Post DEUM nihil
prius antiquiusq̄ve habebat, quàm Nobilissimum Maritum af-
fectu intimo complecti, prolemq̄ve à DEO sibi donatam ad
parile pietatis exercitium velut manu ducere, nihilq̄ve adeò
eorum, quæ in frugi matrem familias cadunt, reliqui facere.
Sed nolumus laudibus ZABELIÆ effusioribus indulgere,
ne aut deserere illas in facundiâ nostrâ, aut acerbiter vulne-
ris, quod Viduo mœstissimo inflictum est, augere velle videa-
mur,

mur. Ad extrema potiùs delabamur, in quibus Apathia illius
feu resignatio Christiana clarissimè omnium effulfit. Vix
elapsi erant puerperii ultimi dies, cum inter Candidatas æter-
nitatis se esse nō vanè autumavit, ex eo potissimum tempore,
quo præter affectum muliebrem insolenti calore quodam in
prædio Zabeliano correpta est. Maritus autem Consultissi-
mus non desperans fore, ut præfidiis Medicis depelli id malū
queat, ad Lipsicos lares mox transvectam experientissimi
Medici cujusdam curæ committebat. Sed incassum; quan-
doquidem fluxus alvi symptomaticus, convulsionibus stipa-
tus, nec non insignis narium hæmorrhagia absque euphoria
spem omnem vitæ ulterioris præsecabant. Illa verò ne hæc
quidem mala ad mentis humanæ ratiocinium examinabat,
quin potiùs pro misericordissimi Numinis voluntate conside-
rabat, quem uti nec velle saltem mali quid posse edocta fue-
rat, ita morbū & mortem ipsam, quæ nostris judiciis vel pes-
sima videntur, apud ipsum pro bonis haberi colligebat. Itaque
se DEO resignabat in totum, non minùs quàm S. Gertrudis
illa, (si quidem vera sunt, quæ Sancticolæ memorant,) & Chri-
stiano ex more viaticata, beatitudinem alterius vitæ, piis ani-
mabus omnibus promissam, anhelabundâ mente expectabat.
Cujus cum d. xxvii. Junii compos facta ex voto fuerit, quidni
beatam illam ac ter quaterque felicem jam deprædicemus? Bea-
tam hodiè Ecclesia Orthodoxa Mariam decantavit, non tam
quòd benedicta inter omnes mulieres, & mater Domini ele-
cta, quàm quòd Mesiam, quem concepit ac peperit, firmissi-
mâ fide complexa est; *Nisi enim Maria (inquit Brentius, Theo-
logus emendatissimus) in ipsum credidisset, nihil profuisset ei, quòd Homil.
habuisset filium Mesiam. Quare beatitudo Mariæ ex eo contigit, quòd VII. in-
credidit divinæ promissioni, in qua dictum est, filium ejus esse verum, Luc. cap. ii
Mesiam, in quo gentes benedicantur.* Jam cum ZABELIA piissi-
ma arctissimis fidei brachiis hunc ipsum Mesiam ad ultima
usque

27/6540
V. Cor-
nel. à Lap.
in c. XIII.
p. 633.

usque tenuerit, quis beatam illam jam esse, & beatam quoque à nobis, in terra adhuc commorantibus, deprædicandam neget? Quod si Anagogico sensu exponere nobis Evangelii hodierni initium liceat, dixerimus ZABELIAM cum Maria trans montana ad Elisabetham festinanter abiisse. Quid enim calamitates atque ærumnæ, quid morbi item morsque ipsa aliud, quàm montes caliginosi, quorum mentio est apud cœlestissimum Esaiam? Et quid Elisabeth aliud signat, quàm vitam æternam, seu DEI quietem, sabbathumque interminabile, ad quod ZABELIA, concepto in mente per fidem CHRISTO, per caliginosa mortis montana jam translata est? Sed quorsum beatitudo ZABELIÆ nos abripuit? Relinquamus hæc Orationibus Ecclesiasticis, quodque reliquum adhuc est, officium ultimum piissimæ Fœminæ Exuviis horâ III. prolixissimè promptissimeque præstemus! Ad quod exequendum dum Cives Omnium Ordinum Academicos invitamus, Consternato Viduo, sobolique ejus mœstissimæ Resignationem tranquillitate plenissimam ex animo aprecamur, DEUM Opt. Max. venerati pariter, ut curæ sibi habeat Zabelianam Familiam, & quod inflixit vulnus, sanare ipse instituat. P. P. Lipsiæ Ipso Festo Visitationis Mariæ A. O. R. M. DC. LXXIV.



RE
ACADEM
Supre
Fœminæ pieta
rarum mulieb
GER
Natae
Viri Nobilissim
DN. HEINRIC
Z A
Hæreditarii i
J. U. D. & Caufa
Uxor
horâ III. pro
CIVES
hum
L
LITERIS CH



41
SIS
e-
S
RIS
fes

